

*Fallor, an ortu habeat vel fato frena Parentis*

*ENSIFER, alterutram sorte probante vicem?*

*Nam Pater è vivis quo mense recessit, eodem*

*Filius in mundum venit habere locum.*

*CHRISTIADES unus moritur, sed nascitur alter,*

*Ut propè temperiem viderit una dies.*

*SALVE igitur PRINCEPS ELECTOR, gloria salve*

*O nova Saxonidum, LVX nova Misniadum.*

*Te DVCE Christicola gaudent & pace fruuntur*

*Vrbes, Tempa, Schola, quâ sine nulla salus,*

*Iam repetent nidos Cygni; redit aurea virgo;*

*Nunc est laticia causa, doloris abest.*

*RUTA virescit, GLADIUSq; ardet pro nomine CHRISTI;*

*Vivat CHRISTIADES, PAX sit in Orbe diu.*

*Sed quis in Illustri strepitus nunc nascitur aulâ?*

*Quis de SAXONIAE est PRINCIPLE clamor? AMOR.*

*HEDVIGIS ingreditur, MYSIAE expectatio, DRESDAM,*

*Communis Patriæ DIVA futura mea.*

*ENSIFERI radiis dum Regia SPONSA coruscat,*

*Qua Regina fuit, Septiviralis erit.*

*Quàm coeunt mores velut unius arte Magistrî*

*Compositi, vitæ namq; magister inest.*

*Magnus in exemplis calor est, alienaq; virtus*

*Virtutis stimulos forteq; calcare habet.*

*Multum virtuti confert pietatis a vitæ*

*Effigies, & laus robora Patris habet.*

*Arx in monte patet, sic præstat gloria Regum,*

*Qui valet, exemplo Dux valet ille suo.*

*Iunior excellens virtute potentiùs in se*

*Ora trahit, facies quàm speciosa senis.*

*Vera*